

✻
✻

AB
57012



№ 4010 *

DISPUTATIO PHYSICA
DE PRINCIPI-
IS RERVM NATV-
RALIVM.

Cuius Theses
Deo Optimo Maximo Auspice

Sub præsidio
 CLARISSIMI ET EXCEL-
 LENTISSIMI PHILOSOPHI Dn.
 M. CORNELII MARTINI And-
 vverpij, Logices Professoris
 publici,

In illustri Iulia publicè discutiendas
proponit.

HENNINGVS ARENTSEHE Halber-
stadensis Respondens.

Ad 5. Non. Aprilis.

HELMÆSTADII
 Excudebat Iacobus Lucius. Anno
 CIO. ID. C.

No 4011 *



CLARISSIMO ET DOCTISSIMO
VIRO IOHANNI CASELIO I. V. D. ET
Academiae Iuliae Professori Philosopho.



Tcunq; duræ poma Calabriae
Romanus hospes respuat, & sibi
Sordescere occlamet suillis
Debita fercula vel catellis :
Nos lacte, micis nos salientibus,
Vel sumptuosâ blandius hostiâ,
Mollire neglectos penates
Erudiit Numa, si modestâ
Integra vitæ de patera manus
Fundat liquorem, non Ebore Indico,
Sed gratiosum perlitantis
Mente piâ scelerisq; purâ :
Nec tu, futuri gloria seculi,
Liuorq; euntis, cui Dea Cynthia,
Omnesq; coniuratæ in vnum
Quando parem inuenient sorores :
Non tu, Caseli, (nec solitus quidem)
Diceris expallescere, quæ tibi
Præludia artis deuouemus,
Muneris & precium dicamus
Exile, sed quo non alium tua
Gaudere passa est, æmula seculi
Planè aurei, ac humaniorum
Canities studiosa morum.
Nam quod bonarum prætereuntibus
Monstratur, istic ebrius artium :
Hic cura regis, principisq;
Delitium sapientis audit,
Totum, CASELI, muneris est tui,
Totum, CASELI, (frendeat inuidus)
Tibi arroga : tu pessum ituris
Litterulis reparas honorem.

T. exc. Ob.

Henningus Arentsche, Autor.



THESIS I.



Vm omnis scientia διανοητική, cuius quidem sunt vel principia vel cause vel Elementa, siue quo nomine quisq; vocauerit, ab ijs auspiciari debeat, si quidem subiecti scientiam polliceatur, quæ tum demum perfecta est, cum causas primas nouerimus, primaq; principia, merito etiam Aristoteles Physicam suam à principijs exorditur.

2. Nam corpus naturale, quatenus naturale, quod Physicæ subternitur, sua habet principia, per quæ ipsum cognoscitur & eius affectiones earumue cause demonstrantur.
3. Insita verò nobis naturaliter via est à notioribus nobis progrediendi ad notiora natura, cum non semper eadem nobis & natura nota sint.
4. Quæ autem confusa magis sunt, magis etiam & prius innotescunt, qualia sunt vniuersalia, tanquam tota, partes comprehendentia. Sic enim & definitum confuse notius est, quàm definitio, quæ distinctè definiti partes explicat: & pueri prius omnes viros patres, mulieres matres appellant. Post verò ex diuisione confusorum Elementa & principia elucescunt.
5. Oportet igitur confusa præaccipere & in naturali scientia, ut ex ijs principia inuestigemus & per ea procedendo omnia in tota scientia distinctè explicemus.
6. Principia autem corporis naturalis aut vnum sunt aut plura: Et vtrumlibet asseratur aut finita aut infinita.
7. Si quidem vnum, aut immobile erit, ut Parmenides & Melissus statuerunt, quorum hic infinitum, ille finitum Ens suum vnum fecit: aut mobile, ut ij, qui magis Physicè locuti sunt, docuerunt: idq; itidem finitum, qualiter Heraclitus ignem, Thales aquam introduxit: vel infinitum, ut Anaximenes aëra, Anaximander medium quoddam inter Elementa corpus statuit.

8. Si vero plura & finita, aut duo erunt, aut tria, aut numero quopiam alio, ut Aristoteles, Plato, Pythagoras, Empedocles volunt: si infinita, aut generis eiusdem, quomodo Anaxagoras, πανσπερμικον; Democritus, Epicurus, Leucippus atomos pro principijs venditant: aut etiam contraria.

9. Contra Parmenidem quidem & Melissum Physicus disputare nescit, quia & motum, qui rei naturalis propria passio est, & ipsa tollunt principia. Nam principia aliquorum sunt principia, nihilq; sui ipsius principium est. Ideoq; cum & rem naturalem & ipsa principia Physico adimant, nihil illi relinquunt, ex quo eorum rationes diluere possit.

10. Cum tamen hac controuersia naturales includat dubitationes, non abs re fortasse fuerit, eam habitu Metaphysices breuiter discutere, & ostendere quod omnia, quæ in rerum natura existunt, quocunq; modo, vnum Ens dici non possint.

11. Dicitur autem Ens de summis generibus decem, in quæ ut in species diuiditur: ideo, cum illi omnia in vnum Ens conglobent, explicent oportet, an omnia genera coniuncta vnum dicant, an illud vnum in peculiarem categoriam reponant.

12. Si vnum omnia genera comprehendere velint, secum pugnant. Nam seu separata illa sint seu coniuncta, plura tamen esse cuius liquet: Si verò Ens illud vnum collocent in categoriarum accidentium vnam, puta quantitatis vel qualitatis, dant accidens sine subiecto: si ad substantiam deuoluunt, quare finitate & infinitate circumscribunt, quæ sunt differentia quantitatis?

13. Dicitur & vnum, prout huc facit, vel continuum, vel indiuisibile, vel vnum essentia. At nullo horum modorum Ens antiquorum potest vnum esse: Nam continuum, cum sit diuisibile in partes infinitas, plura habet, si non actu, certè potestate: Indiuisible caret omni quantitate, ideoq; nec infinitum vel finitum ab illis dicatur Ens illud vnum: si demum vnum essentia malint, disparata & contraria habent

pro

pro iisdem, ut hominem & bouem, bonum & malum, siquidem, quae essentia unum sunt, nomine tantum differunt.

14. Quin etiam ipsorum rationes & falsa assumunt & non recte concludunt, sicut aperte euincit Aristoteles 1. Phys. c. 3.

15. Qui unum rerum naturalium statuunt principium etiam hallucinantur. Nam omnia secundum essentiam essent unum, cum unico constarent principio, quod substantialiter non mutaretur, & ita sola alteratio, sublata generatione, relinqueretur: imò ne haec quidem integra, siquidem vera alteratio ad generationem vel corruptionem ut finem dirigitur: omnia denique iisdem praedita essent qualitatibus, eodem motu cicerentur, & breuiter in eodem statu forent omnia.

16. Errarunt praeterea, qui infinitum inuenerunt unum principium, siquidem Aristoteles omnia finita esse demonstrauit 3. Ph. à t. 33. ad t. 55. 1. de Cael. t. 33. ad t. 76: Cum enim infinitum impleat omnia, nec terminis definitum sit, neque mouere, neque moueri, neque agere, neque pati potest, quod tamen in principij ratione requiritur.

17. Anaxagoras autem longius à vero abit, dum principia numero infinita in quolibet composito asserit. Vnumquodque enim tum scimus, cum eius principia cognoscimus. At infinita principia, quae finxit Anaxagoras, intellectus non comprehendit, & sic neque principiorum.

18. Quin etiam Anaxagoras ad certam quantitatem semina non determinat, ideoque & composita non erunt definita ad maximum & minimum, quod in stirpibus & animalibus praesertim est absurdum.

19. Praeterea ponantur ex aqua secerni particulae carnis aequalibus portionibus: aut caro tota ex aqua eruitur, & sic non erunt omnia in omnibus: aut non, tum in magnitudine finita, partes inerunt finita, multitudine infinita. τῶν δὲ ἀδύνατον.

20. Democriti tandem opinio prorsus irrationalis est, non tantum quod infinitas introducat atomos, cum natura horreat infinitum, sed earum etiam fortuito concursu omnia generari affirmet, iisque ad constitutionem compositorum vacuum addat.

21. In horum autem sententijs id praesertim notare possumus, quod illi non sine ratione confessi sunt, nimirum in principijs inesse quandam contrarietatem. Sic Parmenides calidum & frigidum, in his, quae scripsit ad opinionem vulgi: alij rarum & densum: Democritus solidum & inane, aliaque in atomis contrarietates: Empedocles litem & amicitiam in principijs posuerunt.

22. Principia enim sunt, quae neque ex alijs, neque ex se mutuò, sed ex ijs omnia: Ex quibus conditionibus ultima competunt principijs tantum propter contrarietates. Haec enim causa sunt, quod principia non fiant ex se inuicem, quodque ex ijs omnia sint, cum omne, quod fit, fiat ex contrario tanquam termino.

23. Non enim quoduis agit in quoduis, nec à quouis patitur, nisi ex accidenti. Nemo enim ex albo fieri Musicum dixerit, sed ex non Musico: neque ex omni non Musico, sed in quo Musica est priuatio. Eadem ratione Musicum interit in non Musicum priuatiuum, non in album. Id quod etiam in reliquis accidit nulla alia de causa, nisi quod omnia fiant ex contrarijs. Quapropter principia, ex quibus omnia fiunt, sunt contraria.

24. His praedemonstratis in procliui est principiorum numerum determinare, quod tribus plura superuacanea sint, pauciora non sufficiant.

25. Vnum enim non sufficere liquet, quia vnum sibi non contrariatur. Infinita abundant, quia in vno genere, vna est prima contrarietas.

26. Sic etiam duo solum contraria res non constituere docet ratio. Contrarium enim contrarium non producit, ut raritas densitatem, cum contraria sibi ruinam meditentur: Ideo opus habent communi $\upsilon\pi\alpha\rho\epsilon\mu\epsilon\tau\omega$, ex quo se inuicem pellant, quod eorum actiones sustineat, & cum quo alterum eorum rem constituat, cum principia sint corporis constitutiua: Contraria autem simul iuncta nequeant id constituere. Quomodo enim ex non substantia & substantia componetur aliquid?

27. Cum

27. Cum igitur amba enunciationes contraria: Principia omnia sunt contraria, nulla principia sunt contraria, false sint, sub contraria vere sunt, nimirum, quaedam principiorum sunt contraria, quaedam non sunt. Et dandum est tertium, quod in utriusque contrarij medio sit.

28. Tria haec cum sufficiant frustra queres plura, qui scit Entia non esse multiplicanda praeter necessitatem. Vnicum enim subiectum vel pluribus natum est substerni contrariorum paribus, ut ex parte eius principia multiplicare non sit necesse.

29. Sed nec ex parte contrariorum, tum, quia in uno quoque genere est una prima contrarietas, tum, quia si, exempli gratia, dua sint contrarietates, altera abundat. Nam vel ex una generantur omnia: & ita altera superflua est: vel ex ambabus, hacque ratione neutra contrarietas erit principium cum ex neutra fiant omnia.

30. Hinc obscurum non est, quo pacto exorbitarint alij in principiorum numero assignando. At quia id quod dictum est, dubitatione non caret, accuratius explicandum est, & quid sint illa tria & quomodo sese ad invicem habeant.

31. Dicimus nimirum ex aliquo fieri aliquod tribus modis: vel hominem fieri Musicum, vel non Musicum Musicum, vel hominem non Musicum hominem Musicum. In priori formula terminus ad quem simplex praedicatur de simplici subiecto: in secunda idem praedicatur simpliciter de termino a quo: in posteriori terminus ad quem compositus enunciat de termino a quo composito.

32. Inter priores duas hoc interest, quod in secunda enunciatione non solum dicatur hoc fieri aliquid, sed etiam ex hoc, ut ex immusico fit musicum: in prima autem improprie & raro dicatur ex hoc fieri aliquid, cuius ratio est, quod in prima hoc remaneat, in secunda intereat.

33. Ex quibus videre est, in omni mutatione semper aliquid subijci, quod remaneat, quod cum termino a quo unum quidem numero constituit, sed non unum definitione. Non enim idem est homo & immusicum, si quidem non musicum intereat, homo permaneat.

34. Et id quidem in accidentibus ita manifestum est. Nam & quantum & quale & ad aliquid, & quando & ubi, fiunt semper in subiecto aliquo, cum eorum esse sit inesse.

35. Non minus autem evidens est in transmutatione substantiarum illud ipsum. Semper enim est aliquid quod subijcitur, ex quo fit, quod fit, ut planta & animalia ex semine. Sive enim transfiguratione, sive accretione, sive detractione, sive compositione, sive alteratione aliquid fiat, semper id verum manet, quaecumq; fiunt, fiunt ex presupposito aliquo subiecto.

36. Hic Aristotelicae demonstrationis nervus est, quam ita formabimus: Vbicumq; est transmutatio, ibi subiectum, quod actiones contrariorum terminorum sustineat. At Elementa inter se transmutantur, quod sensu patet, nisi quis velit oculos occludere & negare solem existere. Unde concluditur ijs, etiam commune subiectum substerni, quod erit primum.

37. Dicere enim unum Elementum formaliter fieri alterum, ne imaginabile quidem est: Elementa autem annihilare aut ex nihilo reducere natura impossibile, de quo viderint Empedocles & Ramus.

38. Quocirca tria determinauimus, unum ut à quo incipiat generatio, quod priuationem: alterum huic oppositum, in quo terminatur generatio, quod formam: tertium deniq; quod utriq; oppositorum subiacet, quod materiam primam vocant.

39. Ex ijs, cum duo contraria simul conspirare nequeant, sed alterum alteri cedat, necesse est tertium quoddam generari, quod uno contrariorum & subiecto constet, scilicet, compositum. Hoc enim propriè generatur & interit, cum principia & requisita generationis in eo solo recumbant, idq; per se existat.

40. Priuatio verò utpote alterum contrariorum expungitur, quia materia accidens est & respectum superaddit ac habitudinem ad formam. Materia tamen suum eivou proprium habet, per quod etiam numerabilis est, hoc est, propius, quàm priuatio, accedit ad substantiam, in cuius predicamento infima & incompleta est: & quod fit, per se ex ea fit.

41. Non

41. Non absurdum igitur erit principia quodammodo duo dicere, quoniam duo tantum constituent compositum & privatio sit principium per accidens, imò in transmutatione tantum requiratur: sed quia materia & privatio ratione differunt, rectius tria sumimus principia, ut demonstratum est.

42. Postquam numerum principiorum patefecimus, istorumq; differentias, singulatim ea explicare consequitur.

43. Materia verò prima, cum propter suam imperfectionem forma propria destituatur, per analogiam adulterina, ut aiebat Plato, notione vel negatione cognoscitur.

44. Si enim ab ea remoueantur determinata predicamenta omnia, ut neq; hoc aliquid, neq; quantum, neq; aliquid eorum sit, quibus Ens determinatur, relinquatur esse aliquid, quod se habeat ad res naturales, sicut lignum ad lecticam.

45. Hoc sensu definitur: Subiectum primum cuiusq; corporis, è quo insito non ex accidenti aliquid oritur, & in quod, si quippiam interit, ultimum abit.

46. Aliàs si materiam in suo eivò absoluto describemus, quod pertinet ad Metaphysicam, quid dicemus aliud, nisi eius essentiam in potentia consistere, eamq; nec esse corpus vel in substantiæ vel qualitatis predicamento: nec forma corporietatis præditam: nec ullas actu formarum inchoationes in se continere.

47. Potentiam dico non proximam, quæ est accidens, sed remotam, ut sicut forma dicitur in sua essentia actus: ita materia essentialiter dicatur potentia.

48. Non autem id volo, quod materia nihil sit aut non Ens: Est enim substantiæ principium & pars: sed si respiciatur ad formam, ad quam ordinatur, habet se in pura potentia, licet propriam suam rationem obtineat. Quo sensu dicitur ab Aristotele non Ens secundum accidens propter privationem, quæ connotat absentiam formæ: Et prope ac quodammodo substantia, eò, quod in sese considerata etiam in predicamento substantiæ reponatur, & ad substantiam dirigatur.

49. Quatenus igitur materia est aliquid & in Entis latitudine locum reperit, concedimus ei actum Entitativum, per quem terminetur potentia obiectiva, & per quem materia negetur esse nihil.

50. Ut etiam formas Physicas recipere possit induimus eam quantitate interminata, quae ipsam diuisibilem reddat, ut formas recipiat.

51. Ex dictis manifestatur error Philosophorum, qui ex eo, quod ex nihilo nihil generetur, generationem omnem abstulerunt. Nam neq; ex Ente actu, neq; pura potestate, id est, nihilo generatur aliquid, sed ex eo, quod partim actu est, partim potentia, quale est materia prima, non Ens propter priuationem, sed Ens ex sese.

52. Quae duo cum non distingueret Plato, conspicue lapsus est. Nam nisi materia secernatur à priuatione, ipsa sui interitum appetet. Materia enim formam, ut bonum & appetibile, appetit propter priuationem: quod si priuatio non dissidet à materia, priuatio erit sui interitus causa.

53. Cum verò priuatio in causa sit, ut materia appetat formam, eiusdem ratione dicitur etiam interire & gigni, quatenus in materia est quod interit & producitur, & cum ea unum numero constituit. Quatenus autem potestate est, id est, in sua natura ἀφ'αυτῆς & est ἡ ἀνεκφυγή.

54. Nam si oriatur aliquid, primum subijci oportet, ex quo oriatur. Et ita progressus erit in infinitum vel primo dabitur aliquid prius.

55. Absit autem per hoc negemus materiam esse creatam & per potentiam D E I absolutam posse in nihilum redigi. Id enim ex sacris literis notissimum.

56. Propterea stultum est & delirio proximum arguere Peripateticos, quod, cum dicant materiam ingenerabilem & incorruptibilem, potentia D E I detrahant, imò ipsi D E O materiam adaequant.

57. Quod enim sententiam Aristotelis attinet, eam hac vice suscipimus, id tamen asserentes, materiam in sua natura non generari & corrumpi: quod autem creata, vel potius rebus concreata & extremo die collapsura sit, fide tenemus.

58. Hac

58. Hec materia ut fiat hoc aliquid, opus habet forma, quæ potentiam actuet, & essentiam rerum determinet, unde & compositum per eam est, quod est & definitur λόγος τῆς τῆς ἢ εἶναι & ἐντελέχεια, cui compositum totam essentiam, perfectionem & actiuitatem debet.
59. Non autem communis omnium rerum sicut materia, ita & forma est, sed cuiuslibet propria sua essentialis, quæ unum ab altero distinguit & cum materia iuncta principium indiuiduationis euadit, quippe, cum sit causa formalis existentie in rebus.
60. Quæ autem ad formam attinent, accuratius pensitare, Metaphysicæ potius est, ad quam cetera remittimus, unicum adhuc si dixerimus, videlicet formam esse præcipuam, imò totam rei quidditatem, intelligendo nomine quidditatis, quod in re est actuatiuum, distinctiuum, denominatiuum & definitiuum: ita tamen ut materia propter necessariam connexionem connotetur.
61. Formæ in generatione opponitur priuatio, quæ sine materia formam non appetit, licet eam per suam potentiam appetat.
62. Appositè autem definitur ab Alexandro 2. naturalium questionum c. 11. quod sit absentia formæ naturalis generandæ in subiecto apto eam recipere: qua definitione priuationis titulus derogatur negationi, quæ non connotat aptitudinem subiecti.
63. Aristoteles 2. Phys. t. 15. eam vocat quodammodo formam & naturam, non quod per se materiam informet, sed quod semper consignet formam aliquam, quæ materiam disponat, ita ut ex ea non quoduis, sed certum, cui illa priuatio opponitur, generetur.
64. Consurgit igitur essentia priuationis ex negatione & potentia, qua de causa etiam præ potentia numeratur in principijs, quia illa non requiritur distinctè propter se ad generationem, sed propter materiam, priuatio verò præter id etiam, ut terminus, à quo incipit generatio.

COROL-



COROLLARIA.

I.

Negare materiam primam est aut negare Elementorum transmutationem, aut naturæ infinitam potentiam tribuere, hoc est, naturam æquiparare Deo: quod omnium absurdorum absurdissimum.

II.

Ex assertione Aristotelis: materiam ingenerabilem esse & incorruptibilem, concludere, quod materia similis sit Deo, *ἀείρον* est, & vel inscitiam vel calumniam olet.

III.

Materiam primam esse principium generationis subiectivum, tam verum est in Theologia, quam Philosophia, nisi fortassè illic rerum natura inuersa sit.

III.

An Ramus, in ijs, quæ contra Aristotelem octo libris Scholarum Physicarum disseruit, aliquid ad rem dixerit? Negatur.

F I N I S.



57012
ABI 57012

ULB Halle

3


002 055 449



Sb.

VD 77





No 40


No 40



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13 B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



DISPUTATIO PHYSICA
DE PRINCIPIIS RERUM NATURALIVM.

*Cuius Theses
Deo Optimo Maximo Auspice*

Sub præsidio
CLARISSIMI ET EXCELLENTISSIMI PHILOSOPHI Dn.
M. CORNELII MARTINI And-
verpij, Logices Professoris
publici,

*In illustri Iulia publicè discutiendas
proponit.*

HENNINGVS ARENTSEHE Halber-
stadensis Respondens.

Ad 5. Non. Aprilis.

HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius. Anno
C1D. 1D. C.



No 4011 *

